

20.436

Mantes alas 8- y alas 4

أَنْتَ مَوْلَانِي

Foll. 20.436

89

CERTAMEN THEOLOGICUM

IN QUO

UNIUS ANNI LABORES PUBLICAE PROBATIONI

EXPO NUNTUR

A D. JOSEPHO PEREZ,

IN ORCELENSI COLLEGIO SEMINARIO

IMMACULATAE DEIPARAE ALUMNO TOGATO.

CUI PRAESES ADERIT

D. D. MARIANUS MARTINEZ, PRAESB.

In eodem Seminario Philosophiae olim , modo Sacrae
Theologiae Professor.

*Palaestra , Oriolense Templum SS. VV. Iustae,
& Ruffinae. Die 3 mensis Junii — anni
MDCCCLXXXIII.*

CUM LICENTIIS NECESSARIIS:

*Murciae: Apud VIDUAM PHILIPPI TERUEL : Via
Lintearia.*



D. O. M.



Es auctoritatem , sicutibz idem non impetrare existet . XI
-ae iuri , sed qd. discipulis oisibz monachisqz intermixtis

CONSCIENTIA MORUM **Regula.**

ECCLESIAE DOGMATA.

- ACCORDANTIS QD. SEDIS IN P. C. ETATI SUP RECUSATIONIBZ. IX
- I. **O**pinio alicuius iunioris , & moderni , non debet censeri probabilis , etiamsi non constet reiectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.
 - II. Generatim dum de probabilitate , sive intrinseca , sive extrinseca , etiamsi à probabilitatis finibus non exeat , confisi aliquid agimus , non semper prudenter agimus.
 - III. Hinc ab infidelitate non excusatitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.
 - IV. Illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti , reicta tutiore.
 - V. Nec minimam praefert probabilitatis speciem , Iudicem posse iudicare iuxta opinionem minus probabilem.
 - VI. Non licet Iudici , quando litigantes habent pro se opiniones aequae probabiles , accipere pecuniam pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.
 - VII. Sequi fas est opinionem inter probabiles probabilissimam.
 - VIII. Qui Probabilismi usum maximè tutum , Probabi-

Iiorismi verò maximè periculosum adsereret , is profecto temeritate non vacaret , piasque offenderet aures.

IX. Temeritate quoque non vacat dicere , nullatenus ad christianam perfectionem tendere aliquem posse , nisi secundo Probabilismum.

X. Falsum omnino est , usum genuini Probabilismi in laxitatem degenerare non posse , usum autem Probabiliorismi in rigorismum debere excurrere.

XI. Probabilioristis qua talibus , qui nempe ex praecetto seipso , & alios ad probabiliora impellunt , immerito Rigoristarum nomen imponitur.

XII. Qui ex consilio tantum probabiliora sequuntur , laudabilissimè non operari adfirmamus.

XIII. Probabilismum tanquam Christo Domino summe familiarem praedicare , erroneum est , & haeresi proximum.

SCHOLAE PLACITA.

I. Conscientia recta rationis amussis , ad quam omnes actiones nostras expendere obstringimur , rectè ab Scholasticis definitur : *Dictamen intellectus qua practici dictans in particulari quidquam faciendum ut bonum , vel si malum fugiendum.*

II. Plures conscientia sortitur partitiones , de quibus , nobis interrogatis , in palaestra sermonem instituemus.

III. Conscientiae tūm praecipienti , tūm prohibenti , etiam si cum vincibili ignoratione coniunctae , nefas est refragari.

IV. Nedum contra conscientiam impunè errantem non

age-

agere cogimur , verum tenemur etiam morem ei gerere ,
dum dictat quidquam esse sub pracepto faciendum.

V. Conscientia vincibiliter errans ni deponatur , se-
cundum illam agere praecipimur .

VI. Subditus , qualibet licet obversante opinione proba-
biliori , Superioris praceptum tenetur regulariter executio-
ni committere .

VII. Agere contra conscientiam sive rectam , sive erro-
neam , secundum se non est speciale peccatum .

VIII. Opus remordente conscientia peractum , ea , quam
ipsa dictat , malitia inquinatur .

IX. Qui ignoratione vincibili rei turpis laborat , insci-
tiae suae à Confessario debet admoneri , etiamsi nulla ipsius
in bonam frugem reditus spes adpareat .

X. Non solum licet , sed & expedit , imò obligatorium
est agere contra conscientiam scrupulis agitatam .

XI. Scrupulorum causas assignabimus : nonnullas etiam
regulas Sapientum usu probatas praescribemus , quibus
scrupulosorum aegritudinibus medebimur .

XII. Sola conscientia moraliter certa regulandis moribus
par evadit .

XIII. Ergo qui conscientiae ancipi ac dubiae , aut tan-
tum probabili de honestate formalis actus obtemperat , id
sibi impunè non fore sciat .

XIV. Probabilismi natalitia in coelo defixit , eiusdemque
parentes malos Angelos adseruit Vir Cl. Caramuel. Obs-
cura nimis ac caliginosa nativitas .

XV. Nobiliores Probabilismo natales P. Antonius Teril-
lus

Ius tribuit , Sanctissimam Virginem Deiparam opinione minus probabili usam fuisse contendens , cum per diem filium in templo relictum querere neglexit . Sed somnia haec sunt (nequid peius dicam) vix anicella digna .

XVI. Theologi , qui Bartholomaeum Medina Probabilis-
mi Authorem dicunt , labili fundamento nituntur .

XVII. Iansenismum dicere Matrem probabilioris senten-
tiae , insigne habet mendacii portentum , splendidissimum-
que est caramuelizantium commentum .

XVIII. Cum circa obiectivam actionis honestatem se se
nobis offerunt adversae opiniones , haud quaquam licet
amplecti minus probabilem libertati lenocinantem , proba-
biliori reicta favente legi .

XIX. Si par vero utriusque opinioni constet probabilitas ,
alterutra tamen sit tutior , nequit haec repudiari sine gra-
vi piaculo .

XX. Immerito Probabilistae M. Parentem Augustinum
vocant in sui Systematis patrocinium .

XXI. In Angelici Praeceptoris scriptis nihil reperire est ,
quo Probabiliorismum labefactes : è contrario plurima argu-
menta , quibus Probabilismum ab imis suffodias .

XXII. Sanctus Antoninus disertissime Probabiliorismum
propugnavit .

XXIII. Sanctus Albertus Magnus acerrimus etiam fuit
Probabiliorismi Patronus .

XXIV. Dum circa solam obiectivam actus honestatem
agendum nobis est , ei opinioni adsentiri licet , quae ,
quamquam libertati faveat , manifestè tamen est solidè pro-

ba-

babilior. Hinc impunè possumus opinionem adversam minus probabilem , etsi tutiorem , relinquere.

XXV. Non licet viro Theologo ex sententia , quam ipse oppugnat , censemque minus probabilem , alteri consilium dare , quamvis non ignoret eandem sententiam tanquam probabiliorem ab aliquibus propugnari.

XXVI. Non debet Confessarius absolutionem impendere his , qui opinioni adhaerent minus probabili stante pro libertate , illamque deponere detrectant.

XXVII. Possunt non numquam poenitentes absolvi , qui sententiam sibi solidè probabiliorem adsumunt ut regulam suae operationis , tametsi isthaec Confessario minus probabilis adpareat.

XXVIII. Pessimè se gerunt , Deumque provocant homines ignari varios adeuntes Casuistas eo consilio , ut tandem inveniant benigniorem propriae cupiditati indulgentem.

PECCATI NATURA , ET SPECIES.

ECCLESIAE DOGMATA.

I. **T**urpiter labuntur , qui , Stoicorum in morem , param omnibus peccatis malitiam adtribuunt.

II. Concupiscentia , sive lex membrorum , & prava eius desideria , quibus ratio non consentit , quaeque invitii sentiunt homines , vera non sunt legis inobedientia , seu peccata , nequidem venalia.

III. Ius positivum Divinum ab his gentibus potest invincibiliter ignorari , quibus nunquam Christus est praedicatus.

IV. Omnis ignoratio , quae vinci nequeat , nihil homini adfert detrimenti.

In-

V. In malam cùm Concilio Tridentino crùcem agimus Calvinum , Deum causam peccati nefario scelere blasphemantem.

VI. Qui peccatum originale in Adae posteros traduci negat , ipsa Christianae fidei subvertere firmamenta conatur.

VII. Ergo Catholica fides fateri iubet , omnes omnino homines ab Adamo seminis virtute propagatos , ni praecipua gratia obstiterit , communi hac originis labe inquinari.

VIII. S. Ioannes Chrysostomus Catholico huic Dogmati de peccati originalis traductione haud quaquam adversarius ostenditur.

IX. Aberrant à ratione quam maximè , qui omne scelus eius adserunt conditionis , ut suum Authorem , & omnes posteros eo modo inficere possit , quo infecit prima transgressio.

X. Non nisi in Isacci Peyrerii cerebro extitere homines Prae-Adamitae : quos tamen ille , ad meliorem frugem conversus , tanquam nothos foetus reiecit , nosque , si quis sit qui adhuc friguttiat , nullos fuisse planissimè conficiemus.

XI. Mors , aegritudines , aliaque huius vitae discrimina in unum Adae peccatum originem referunt : nam , quidquid Pelagiani garriant , primo homine non peccante, coeteri immortales dono Creatoris extitissent.

XII. Ex peccato mortali macula in animam peccatoris manat.

XIII. Inducitur etiam per unumquodque peccatum lethale duplicitis poenae reatus , & damni , & sensus.

XIV. Peccato lethali quoad culpam dimisso , reatum

tum poenae temporariae plerumque accidit remanere.

XV. Poena , quae in inferno peccatori expianda venit, aeternum perennabit.

XVI. Parum abesse videntur ab Stoicorum errore , qui nullum peccatum nisi mortale agnoscunt. Extat profecto veniale , quod poenam non meretur aeternam.

SCHOLAE PLACITA.

I. Virtuti vitium , quo nihil in natura tetrius , è regione adversatur.

II. Vitium quocumque , sive id quod virtutes adquistas , sive quod infusas pessumdat, naturae hominum insiduntur nobilissimae.

III. Peccatum habitum malum turpitudine superat ; habitus autem vitiosus , ut cui non adèo facilè possit mederi , est illo quodammodo peior.

IV. Adcuratam arbitramur peccati definitionem à M. P. Augustino traditam in hunc modum : Dictum , factum, vel concupitum contra legem aeternam.

V. Hinc nullum invenies peccatum , quod D. O. M. non offendat.

VI. Peccata specie distinguuntur per ordinem ad objecta specie distincta in esse moris.

VII. Numerica peccatorum distinctio ex variis à voluntate moraliter , si fas sit ita loqui , interruptis actibus est aestimanda.

VIII. Peccata non invicem sibi respondent , ac refertur , ut sint inter se connexa.

Pec-

IX. Peccatorum inaequalitas ex inaequalitate petitur obiectorum , ex virtutibus etiam , quibus opponuntur.

X. Haud parvam quandoque peccatis circunstantiae malitiam augescunt.

XI. Non voluntas solum , sed appetitus etiam sentiens , ac ratio subiectum sunt peccati ; nullo tamen pacto membra , vel sensus externi.

XII. Nullus concupiscentiae motus est peccatum , ne quidem leve , nisi morem illi gesserit voluntas.

XIII. Christiani , quibus Evangelium pro captu contigit non audisse , possunt iuris positivi Divini invincibili ignorantia laborare.

XIV. Adultus iam rationis compos obvia iuris naturae praecepta , quae in prima , & secunda tabula à Theologis collocantur , non potest inculpatè nescire.

XV. Ast remotiorum & obscuriorum , quae tertiae classis dicuntur , praceptorum potest esse inculpatè inscius.

XVI. Ut inadvertentia ad malitiam actus censeatur vinclibilis , non semper mentem subire dubitatio , aut suspicio de malitia actus debet , sed sat , ut plurimum , erit , si homo advertat in obligationem inquirendi , qua non neglecta in cognitionem malitiae recta perveniret.

XVII. Ignoratio etiam invincibilis poenae à lege exactae non liberat ab ea transgressorē.

XVIII. Contrà censura Ecclesiastica homini illam nescienti non inuritur.

XIX. Voluntate peccante fieri non potest , ut aliquis in intellectu error proprius , aut improprius non praecedat.

Ori-

XX. Originalis noxa non est ipsa animae rationalis natura , quod fuit Illirici delirium , nec ipsum actuale Adae peccatum , quod arrissit Pighio , & Catharino.

XXI. In nullo alio videtur reponenda peccati originalis natura , praeterquam in privatione iustitiae originariae nobis quodammodo voluntaria.

XXII. Fieri nequaquam potest ut peccatum originale concipiamus voluntarium , nisi pactum admittamus Deum inter & Adam , cuius voluntas omnium nostrarum vices gereret.

XXIII. Frustrà hoc pactum carpunt plerique , veluti Scholasticorum commentum , quod S. Thomas omni proculdubio docuit , & S. Augustinus non obscurè innuit.

XXIV. Si sola Eva serpentis sibilis obtemperasset soli illi malè fuisset.

XXV. Peccatum Caini , si Adamus in iustitia originali perstisset universam stirpis suae sobolem non pervasisset.

XXVI. Tuemur cum D. Thoma parvulos , qui ē mundo , praematura morte , atque sola originali labe maculati , decedunt , nulla , mitissima licet , poena sensus torqueri.

XXVII. Maculam illam , qua peccantis anima foedatur , inquinaturque , malè dixeris reatum poenae , denominacionem exteriorem , habitum , aut dispositionem in bonum commutabile spontè vergentem.

XXVIII. Rectius dixeris nitoris gratiae privationem ex praeterito scelere ortam , ipsum habitudine quadam resipientem.

XXIX. Ex peccato veniali macula in animam pecca-

toris manat ipsius nitorem non extinguens , at obnubilans.

XXX. Unum peccatum aliquo sensu alterius poenam dicere , haud est quod vereamur.

XXXI. Pœna sensus , & damni finita est ex intrinsecis: haec tamen est quadantenus infinita.

XXXII. Peccatum mortiferum ex sui ratione poenae aeternae inducit debitum ; veniale verò tantummodo temporariae.

XXXIII. Peccatum veniale nonnunquam aeterna poena punitur , cum nempe homo utroque irretitus truditur in infernum.

XXXIV. Peccatum lethale in hac vita quoad culpam dimissum , aeterno suppicio in damnatis non esse puniendum, docet Ang. Doctor , cui utroque pollice subscribimus.

XXXV. Peccati abs se commissi unusquisque poenas est soluturus , & anima quae peccaverit , ipsa punietur.

XXXVI. Poterit quis tamen poenas alterius sibi sumere in hac vita luendas , si temporiae sint , aut uti medicinae infligantur.

XXXVII. Peccatum veniale ad mortale disponere , quotidiano experimento didicimus.

XXXVIII. Quantumvis peccata venialia multiplicentur, unum peccatum mortale nunquam efficient.

XXXIX. In quibus ne peccatis levitas , vel gravitas reperiatur , & unde haec sit aestimanda , non leve facessit negotium Theologiae Moralis Tractatoribus , quod & nos placido sermone extricare adnitemur.

XL. Qui scelus in Deum mortale committit , hoc
par-

parvi omnino habito , bonum commutabile finem ultimum sibi praefigit.

XL.I. Omne peccatum lethale in esse moris consideratum malitiae est simpliciter infinitae.

XL.II. In statu innocentiae, quin prius in mortale peccatum homo laberetur , veniale committere non poterat.

XL.III. Statim ac puero rationis lumen irradiat , obstrin gitur in Deum converti modo , quo ipsius menti obversatur. Quae opinio Angelici Praeceptoris ab omni est animadversione immunis , atque adeo probabilis , ut vix non certa.

XL.IV. Etsi rationis nervos exseras quantum valeas , nusquam veniale peccatum cum solo originali coniunges.

IURIS , ET AEQUI REGULAE.

ECCLESIAE DOGMATA.

I. **L**eges condere penes Communitem est : eius est etiam leges ferre , cuius Reipublicae moderari.

II. Gaudet Ecclesia potestate leges ferendi , quae nominatim residet in Summo Pontifice , & Conciliis generalibus pro toto , qua latè patet , Christianorum coetu : in Conciliis nationalibus pro toto regno , provincia , cet.

III. In civilibus leges apponere valet quicumque non ligata pollet iurisdictione.

IV. Principes malos potestate condendi leges non potiri error est Hussitarum omni execratione dignissimus.

V. Legibus à Principibus latis Christiani omnes , quantum velis iusti , subduntur.

Pec-

VI. Peccat proculdubio populus absque iusta causa non recipiens legem à Principe promulgatam.

VII. Leges Ecclesiasticas frangere , culpa est ad conscientiae forum deferenda.

VIII. Hinc praeceptum servandi festa , etiamsi absit contemptus , & seposito scandalo , obligat sub mortali.

IX. Mortaliter peccat frangens ieunium Ecclesiae , ad quod tenetur , remotis etiam contemptu & inobedientia.

SCHOLAE PLACITA.

I. Legem Ang. N. Mag. placuit definire : Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo , qui curam communictatis habet promulgata.

II. Ergo lex rationis est munus , quam tamen , in legibus saltem positivis actus voluntatis debet antevertere.

III. De ratione legis est bonum commune respicere , utque pro tota communitate feratur.

IV. Ut lex censeatur obligare promulgatio , eaque, quoad fieri possit , solemnis praeesse debet.

V. Promulgationem tantum ut conditionem requirimus ad obligationem legis inducendam.

VI. Omnis lex sive supernaturalis , sive naturalis , Ecclesiastica quoque , & Civilis pro fine habet , homines rectos facere.

VII. Si legis actus adcuratè numeres , quatuor omnino reperies ; praecipere nempe , prohibere , permittere & punire.

VIII. Legum omnium fons , & origo lex est aeterna,
a nullo , qui sibi constet , Deo negata.

IX. Haec non scitum aliquod populorum , non quid hominum est excogitatum ingenio , sed mens omnia ratione aut cogentis , aut vetantis Dei.

X. A Lege aeterna prima , & proxima derivatio , est lex naturalis , non scripta , sed nata lex , estque ipsius aeternae legis in mente hominum per participationem incommutabilis rationis Divinae facta transcriptio.

XI. Legis naturalis scopus , cuius existentiam propria conscientia didiscimus , est , declinare a malo , & facere bonum , quo expectant tria illa a Juris - Consultis adducta praecepta : honeste vivere , alterum non laedere , suum cuique tribuere.

XII. Iure tenebris iacet conseputa eorum opinio , qui legem naturae abrogari penitus posse existimarunt. Non enim haec lex deleri unquam poterit : addimus nec dispensationem propriam agnoscere divina potestate inducendam.

XIII. Incassum ergo quaeres , num hominum potestate possis ab huius legis vinculo liberari.

XIV. Lex naturalis aliquam pati potest interpretationem , at Epiikia nullum in illa potest locum habere.

XV. Esse perutiles leges humanas , attenta humanae naturae corruptione , hominumque pervicacia , pugnacissime contendimus.

XVI. Lex humana qualitates nonnullas debet habere ; eccillas : erit lex honesta , iusta , possibilis secundum naturam , secundum consuetudinem patriae , loco temporique

con-

conveniens , necessaria , utilis , manifesta quoque , nullo privato commodo , sed pro communi civium utilitate conscripta.

XVII. Ea, ut leges obligent , promulgatio requiritur , qua prudenter censeatur in subditorum potuisse pervenire notitiam.

XVIII. Si iuris positivi ratio habeatur , lex Imperialis in singulis ad quas dirigitur provinciis debet promulgari.

XIX. Idem tanquam probabilius tenemus de legibus Pontificiis ius novum , novamque obligationem inducentibus: si non novum ius statuant , sed labentem stabiliant disciplinam , in Curia tunc Romana sat erit promulgare.

XX. Si quando Legislatoris animum contraria legi onerosae intentio subeat , eamque extrinsecus expresserit , revocata manebit illis , quibus intentio ea innotuit , nulla promulgatione praeeunte.

XXI. Cum revocatio privilegii lata lege facienda est , in provinciae Metropoli hac lege promulgata , privilegium irritum fit illis etiam ad quorum aures lex illa revocatoria non advenit.

XXII. Revocatio privilegii , aut indulgentiae alicui concessae personae , loco , seu rei , delegatae item iurisdictionis , alteriusve facultatis , seu gratiae facta per Nuntium , aut litteras , non ante effectum suum sortitur , quam Privilegiato innotescat.

XXIII. Nisi Legislator tempus indicet , quo obligare legem habet in animo , regulariter non id praestat ante binos à promulgatione menses elapsos.

Nec

XXIV. Nec lex Civilis , nec Ecclesiastica à populi pen-
det acceptatione ; illis igitur , si aequae sint , & pro eo ac
debent vulgatae , quilibet acquiescere tenetur , vel in-
vitus.

XXV. Ecclesiastica lege nullus interior actus , qui ni-
hil cum exteriori commune habeat , directe praecipi potest,
aut inhiberi.

XXVI. Bene vero si invicem sibi respondeant , ut unus
sine altero speciem nequeat habere moralitatis.

XXVII. Sat erit ut legi satisfiat , si actum praeceptum
sciens & volens quis ponat , licet habitus virtutis non co-
mitetur , aut charitatis.

XXVIII. Qui praeceptum opus executioni mandaverit,
animo licet obluctante , si non ipsa obedientia praecepitur,
legi proculdubio satisfaceret.

XXIX. Nulla poenalis lex latae sententiae obligat in fo-
ro conscientiae ad subeundam poenam , cuius executio actio-
nem postulat , ante Iudicis sententiani.

XXX. Possunt leges poenales latae sententiae obstringe-
re ad poenam subeundam privativam ante Iudicis pronuntia-
tum. Paucae tamen obligant.

XXXI. Post Iudicis sententiam graviter cogitur refrac-
tarius illas ipse poenales actiones obire , quae commodius
ab eo , quam à Iudice , huiusvè Ministro , possunt exerceri.

XXXII. Lex humana ut in grave praeceptum inducat , &
Legislatoris postulat intentionem graviter obligandi , & le-
gis ipsius materiam esse gravem.

XXXIII. Si lex humana cuiusvis privati hominis bono

praef-

praecellat , obstringit conscientias gravi vel imminentि pericolo , honoris , famae , sanitatis , fortunae ; adhuc & cum discrimine vitae.

XXXIV. Satisfacere aliquando possumus pluribus legibus unico actu , seu pluribus eodem tempore exercitis.

XXXV. Qui toti legi facere non possit satis , partem saltem tenetur adimplere.

XXXVI. Legum-latores & ipsi latis à se legibus aliquo pacto tenentur.

XXXVII. Clerici immunes reperiuntur , Principum saltem concessione , à legibus Civilibus vectigalia , tributa , & huiusmodi onera imponentibus.

XXXVIII. Legibus Civilibus , quae nec Sacris Canonibus obversantur , nec statui Clericorum repugnant , subduntur ii quoad vim directivam , non coactivam.

XXXIX. Religiosi exempti legibus Episcoporum communem observantiam , & totius populi devotionem spectantibus subiiciuntur quoad vim tantum directivam.

XL. Rationis impotes infantes , ac perpetuò amentes leges humanae non curant.

XLI. Pueri , dum rationis lumen incipit illis illucére , legibus iis tenentur , quae eorum aetati congruunt.

XLII. Infideles , utpote qui extra Ecclesiae potestatem sunt , huius leges subterfugiunt.

XLIII. Haeretici , Ecclesiae , quae in illos iure potest animadvertere , legibus obligantur.

XLIV. Advenae , & peregrini regulariter non subduntur legibus proprii territorii , nisi animo leges patrias evadendi id fecerint.

Iti-

XLV. Itinerantes & vagi locorum ad quae accedunt tenentur legibus , si talis in his locis sit mora , qualis pro observatione legis exigitur.

XLVI. Legislator , eius Successor , eove superior , legem penitus potest , si ita expediat commune bonum , abrogare.

XLVII. Fine legis undequaque deficiente , deficit & ipsa lex.

XLVIII. Nova per consuetudinem rationi consonam lex potest induci , sive conniventiae via , sive praescriptionis.

XLIX. Per eandem , si itidem sit rationi consona , lata lex humana etiam irritans , utraque conniventiae & praescriptionis via potest , & emolliri , & penitus abrogari.

L. Dispensatione à Legislatore concessa , eiusvè aut Successore , aut superiore , lex pro dispensato corruit.

LI. Legislator nisi causa intersit legitima ut in legibus , sivè à se , sive à Decessoribus , aut etiam ipsi subiectis Magistratibus latis dispensem , potest , at non impunè , dispensare.

LII. Sed inferiorem Legislatorem , nec licetè , nec validè posse Superioris leges facere irritas , extra dubium est.

LIII. Dispensatio facta ob legitimam causam , si haec ccesset antequam illa suum sortiatur effectum , non ideo dispensatio cessat , nisi sit concessa pro tempore quo durabit ipsa causa.

LIV. Dispensatio obreptione , aut subreptione in causa principali extorta , nulla evadit.

LV. Si obreptio supra causam impulsivam cadat , minusque principalem , nulla erit dispensatio , si malitia allegantis in

causa huius fuerit ; valida autem , si ex simplicitate , aut ignorantia fieret .

LVI. Reticentia eius , quod stilus Romanae Curiae requirit , eius vitiat dispensationem .

LVII. Interpretatio legum triplex est , authentica , usualis , & doctrinalis : haec Iurisperitorum est , illa Legislatorum , ista consuetudinis .

LVIII. Episkeiam locum in humanis habere legibus , non ambigimus .

GRATIA DIVINA.

ECCLESIAE DOGMATA.

I. **N**on omne , quod agit peccator , aut peccati servus , peccatum est .

II. Nec in omnibus actibus suis peccator servit dominanti cupiditati .

III. Hinc efficitur , non omnia impiorum , & infidelium opera , tanquam ex prava concupiscentia exorta , ceu crimina esse traducenda .

IV. Homo lapsus nequit à crimine resurgere , ni Divina opituletur gratia .

V. Operibus naturalibus nec de condigno , nec de congruo possumus supernaturale gratiae adiutorium mereri , quod Pelagiani autumabant .

VI. Utut lapsus homo vires exerat , minimè se paratum reddet , ad gratiam sive actualem , sive habitualem actualis gratiae iuvamine non praeventus .

Ad

VII. Ad singulos pietatis actus Reparatoris gratia indigemus.

VIII. Habitualis gratia hominem Deo gratum faciens, eius est donum, animaeque inhaeret.

IX. Gratiae interiori in statu naturae lapsae nonnunquam resistitur.

X. Ad initium fidei, bonaeque voluntatis superna gratia necessaria est.

XI. Habita Providentiae communi lege, ex parte adulati sui compotis quaedam ad gratiam iustificationis consequendam requiritur dispositio, quae in actu, & motu liberi arbitrii sita est.

XII. Quamdiù iustus mortalem hanc vitam ducit omniodam habere non potest certitudinem de gratia iustificationis, seclusa benigna, specialique Dei revelatione.

SCHOLAE PLACITA.

I. Pelagiana haeresis, quae miserè diuque vexavit Ecclesiam, omnium fermè hominum indignationem subiit, crebrisque anathematismis fuit exagitata. Animadvertè in illam Pontifices, ac Concilia auctoritate, Patres lucubrationibus, & vel ipsi Decretis Augusti.

II. Strenuam præ aliis in hanc rem operam navavit Magnus Fidei praeco, Gratiaeque vindex Augustinus, dignus profectò, cuius scriptis haeresim Pelagianam iugulatam Maximus Hieronymus gratularetur.

III. Aliquando fuisse Augustinum libero hominis arbitrio

trio minus aequum , rancida est Pelagianorum , & Semipelagianorum calumnia.

IV. Pelagianae haereseos tres à nobis discernuntur status. ; Evidem immane quam lubricè , & variè illius asseclae in adserenda Divina gratia versati sint !

V. In primo nullum prorsus interioris gratiae adiutorium agnoverunt ; admisserunt tamen necessitatem legis , si- vè naturalis quoad praecpta naturalia singulorum hominum insculptae cordi , sive positivae exterioris quoad mandata positiva , ad quorum possibilitatem doctrinam quoque externam commendarunt.

VI. In secundo ad legem atque doctrinam grātiam addiderunt internae illuminationis : num autem ad facilius , an ad absolutè operandum necessariam iudicaverint , nobis prorsùs incertum.

VII. Admisserunt quoque Pelagiani gratiam , quam *possibilitatis* nomine adpellant Theologi : in quo verò eam locaverint , obscurum nimis.

VIII. In tertio tandem , quantum ex eorumdem gestis coniicere fas est , opinamur , vafferrimos Fidei hostes in Dogmatibus passim fluctuantes , eò tandem Catholicorum argumentis , Ecclesiaeque condemnationibus agitatos devenisse , ut operis , voluntatisque gratiam adsererent , rectae nimirum voluntatis , operationisque effectricem ; quam tamen subdolis interpretationibus turpiter deformarunt.

IX. Quoad Semipelagianos attinet , nunquam praedicarunt hi ut necessariam ad Fidei initium praevenientem gratiam interiorem indifferentem reapse collatam voluntati.

In-

X. Inter eos verò nonnulli , qui Fidei initium in unico gratiae consensu reponebant , ad actus absolutos , formatosque cooperantem gratiam admissere , quae ut oblata antevertet omnem voluntatis consensum , sequeretur autem ut collata.

XI. Ratam fixamque habemus tritam illam naturae humanae in quinque status partitionem , purae nimirum , integrae , cet. Hi autem quam uberem suppeditare possint dicendi copiam , agnoscet , qui cupidum eorum , patientemque animum in certamen attullerit.

XII. Angelis , & primo Parenti necessaria fuit efficax gratia ut acceptam custodirent. A qua quidem sententia alienum non fuisse D. Augustinum nobis ipsis , quae nostra est in Magnum Parentem reverentia , iucundè blandimur.

XIII. Dum gratiam loquimur , non dona intelligimus Conditoris ad naturam spectantia , sed beneficium supernaturale nobis Divina liberalitate collatum intuitu meritorum Christi , atque ad supernam beatitudinem ordinatum.

XIV. Gratia dispescitur in gratiam gratum facientem , & eam , quae gratis data dicitur. Haec ea est , quae nobis in aliorum salutem confertur : illa est , quae ad propriam salutem est potissimum ordinata , quaeque plures alias patitur divisiones , quas , ex adcurata observatione scripturarum Divinarum , & Maximorum Ecclesiae Patrum , Augustini praesertim , qui citrà aleam felicius præ caeteris de Divina Gratia disseruit , prestò sumū explicare.

XV. Potest utcumque rationalis creatura veritatem aliquam naturalem absque speciali gratia scrutari ; nisi autem

spe-

spéciali adiuvetū adiutorio , omnes naturae veritatis capere non valebit.

XVI. Homo lapsus , praedicatione Evangelii audita , sola prævia gratia omnibus communi amplecti potest ex motivo humano veritates supernaturales.

XVII. Nequit homo supernis veritatibus adseñtiri. Causa Divinae revelationis , nisi speciali suffultus auxilio.

XVIII. Homo lapsus , unico instructus generali auxilio Dei , quodammodo verò speciali , elicere potest honestum opus ordinis naturalis.

XIX. Ad Deum naturae auctorem efficaci , quod aiunt , adfectivo amore prosequendum solae ipsius naturae vires non sufficiunt.

XX. Ad universam naturae legem adimplendam singulare præsidio gratiae opus est.

XXI. Gravi crimine pollutus homo , sine speciali Dei superaddita gratia , nequit tentationes cunctas , & peccata omnia vitare lethalia.

XXII. Homo iustus nequit per totam vitam ab omni veniali crimine liberari , nisi speciali donetur privilegio , quod Beatissimae Virgini Mariae tantum concessum putamus.

XXIII. De vulgato omnibusque noto axiome : *Facienti quod in se est , Deus non denegat gratiam , copiosius , accuratiusque , occasione data , sermonem instituemus.*

XXIV. Homini iusto necessaria est ad singulos pietatis actus generalis Dei motio ut auctoris supernaturalis , eaque ad aliquos sufficit ; ad diù autem in eis perseverandum gratia requiritur specialis.

XXV. Finalis perseverantia sive diurna , sive brevis , aut brevissima magnum atque singulare est Dei beneficium.

XXVI. Gratia sanctificans donum supernaturale est à charitate distinctum.

XXVII. Gratia isthaec non in potentiis residet animae , sed eius immediatè inhaeret essentiae.

XXVIII. Gratia sufficiens est , quae hominem ad operandum potentem efficit , operantem non facit.

XXIX. Haec eo modo sufficiens dicenda est , quo eam dicunt Thomistici Doctores , non aliquo modo non.

XXX. Sufficiens adiutorium situm minimè est in aliquo determinato indivisibili , sed ea omnia complectitur , quae piissimus Deus confert nobis , ut opus elicere salutare possimus.

XXXI. Divinae gratiae efficacia non à rerum eventu , non à congruitate circunstantiarum , non aliundè repetenda est , sed ab omnipotentissima Dei voluntate , quae qua- quaversum arbitratu suo hominum animos flectit lenissimè.

XXXII. Thomisticum de Gratia systema à Ianseniano vix differre putidissima est Livini de Meyer , aliorumque calumnia : primum etenim ab altero plusquam mille distare parasangis planissimè conficiemus.

XXXIII. Nullum in creatis reperies agens , quantalibet perfectione pollens , cui veluti primariae causae , Physica Divinae gratiae productio adtribui queat.

XXXIV. Liberi arbitrii actus à Deo moti ad gratiam disponunt non moraliter tantum , sed & physicè , & ex sui natura.

IUSTIFICATIO PECCATORIS, ET MERITUM

Iusti.

ECCLESIAE DOGMATA.

V

I. Mentiuntur summoperè haeretici , dum adserunt, in iustificatione impii peccata non vere deleri , sed radi tantum , tegi , vel in culpam non imputari.

II. Iustificatur homo non sola imputatione iustitiae Christi , non una peccatorum remissione exclusa gratia , & charitate , sed his in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusis , illique inherenteribus.

III. Labuntur turpissimè quotquot putant , fidem iustificando homini necessariam esse fiduciam illam , qua fidimus , crimina nobis deleri per Christum.

IV. Ergo sola illa fides erit , qua veritatibus à Deo revelatis constanter adsentimur ob Dei testimonium falli omnino nescium.

V. Nequeunt peccatores iustificantem gratiam adipisci vel sola Novatorum futili cassaque fide , vel ea tantum, quae , etsi vera sit , ab omni tamen humanae voluntatis motu seiuncta est.

VI. Homo à criminè mundus , Deique amicus , ab ipso verè , & propriè aliquid mereri potest , ipsam etiam beatitudinem omnibus numeris absolutam.

VII. Gratia & Charitas bonis operibus merentur augeri, ut auctae mereantur perfici.

-201

SCHO-

SCHOLAE PLACITA.

T

I. Iustificatio impii , qua parte dicit gratiae infusio-
nem peccatorumque remissionem , instantanea est ; secùs ve-
rò si dispositivi motus ratio habeatur.

II. Huc pertinebat inquirere , num iustificatio sit opus
Dei praestantissimum , & miraculosum ; sed nihil est cur
immoremur. In Palaestra invitati , quae temperatum Theo-
logum decent , dabimus.

III. Ex gratia meritum oritur , seu ius quoddam ad
praemium , qua ineffabili benignitate debitor Deus ipse no-
bis efficitur.

IV. Duplex tantum meritum distinguimus , de condigno
unum , alterum de congruo.

V. Postulat ratio meriti , ut opus ab homine iusto , &
liberè peragatur ; ut in obsequium tendat Dei praemia elar-
gientis ; tandem ut ab isto ad praemium referendum addi-
ctum sit & ordinatum.

VI. Hominis iustificati recta opera vitam aeternam , de
congruo nedùm , sed & de condigno promerentur.

VII. Actum est de vero merito , si charitatis demas in-
fluxum , saltem virtualem.

VIII. Primam habitualem gratiam nec condigne , nec
verè congruenter sibi ipsi promereri quis potest.

IX. Solus Christus condigne potuit alteri mereri primam
gratiam.

X. Regnantes in gloria electi , & etiam iusti peregri-

D

nan-

nantes , à Domino possunt de congruo aliis pròmereri primam gratiam.

XI. Homo in peccata lapsus , si misericorditer trahatur ad poenitentiam , gratiam iterum consequetur , non merito condigno praecedentis iustitiae , sed merito de congruo largè accepto praesentis contritionis , & gemitus.

XII. Saeculi illae fluxae voluptates & commoda , in quae homines nonnunquam effreni proclivitate abripiuntur meriti rationem minimè induunt.

XIII. Si tamen eorum quoddam ad salutem fuerit utile cadere valet sub merito.

FIDES, ET SPES.

ECCLESIAE DOGMATA.

I. Fides Christiana Ecclesiae nititur propositione , & auctoritate , non Spiritus privata notitia.

II. Fides supernaturalis omni tempore adultis necessaria fuit ad salutem.

III. Fides sub praeceptum speciale secundum se cadere censetur , non per accidens tantum & ratione alterius.

IV. Satis non est actum fidei semel in vita elicere; nec sufficit mysteria Sanctissimae Trinitatis , & Incarnationis semel credidisse.

V. Non tantum unius Dei fides necessitate medii necessaria videtur , sed etiam Remuneratoris.

VI. Nefas semper est susceptam denegare fidem , vel

gra-

gravissimo damno , immò morte ipsa , malorum omnium tetroremo , imminente.

VII. Qui à potestate publica interrogatur , Fidem ingenuè confiteri tenetur ; tacere ut peccaminosum per se damnamus .

VIII. Fides reperitur in sceleratis absque amore , & fiducia .

IX. Etiamsi in magnis peccatoribus deficiat omnis amor , non deficit protinus Fides Divina .

X. Infidelitas purè negativa in iis , quibus Christus non est praedicatus , peccatum non est .

XI. Ex Fide nascitur spes bona fidelium , quam in viatoribus etiam impiis manere dicimus , dummodò desperationis aut praesumptionis crimine non se commaculent .

S C H O L A E P L A C I T A .

I. **F**ides ab Apostolo rectè vocatur : *Sperandarum substantia rerum , argumentum non adparentium .*

II. Obiectum huius virtutis materiale adaequatum est collectio omnium veritatum à Deo revelatarum , quae nobis ad credendum proponuntur ; summa autem Dei veritas est eius formalis ratio .

III. Fidei veritatibus adsentimur non propter Ecclesiae testimonium , sed propter summam Dei in dicendo veritatem .

IV. Deum per se vel per alium mentiri , ita repugnat , ut id nunquam contingere possit etiam de potentia absoluta .

V. Fides nequit mentem ad assensum falsum inclinare , aut illum elicere .

Ob-

VI. Obiecta Fidei materies necessariò obscura est , & invidens.

VII. Ex vaticiniis Prophetarum adimpletis , ex mirabili modo , quo in orbem universum inducta & propagata est Fides Christiana , ex inconcussis caeteris monumentis , quae roganti libenter exhibebimus , tot , tantaque profluunt mysteriorum Fidei nostrae credibilitatis motiva , ut non nisi imprudenter negari , aut in dubium revocari valeant.

VIII. Mysteria Fidei eadem semper extitere ; fatemur tamen successu temporis ab Apostolis ad nos usque quoad explicationem crevisse.

IX. Symbolum , quod Apostolorum dicitur , ab ipsis verè fuit traditum , non scriptum , sed ore cordibus & memoriae fidelium commendatum.

X. Symbolum dictum Athanasii genuinum eius esse fœtum , nulla demonstrant argumenta ; id tamen probabile esse non inficiamur.

XI. In hac legis Evangelicae luce explicita fides SS. Trinitatis , & Dominicae Incarnationis ita est necessaria , ut qui ea caruerit , iustus , & salvus esse non possit.

XII. Praeter hanc necessitatem , altera quam vocant *præcepti* præ oculis habenda est , quae ab omnibus exigit , ut Dominicam Orationem , Decalogi , & Ecclesiae præcepta , Sacraenta necessariò suscipienda , & Symbolum Apostolorum , quoad præcipuas saltem circunstantias profiteamur expressè.

XIII. Fidei præceptum obligat adultum rationis compotem statim , ac credenda , & credendi motiva ipsi sunt sufficienter proposita.

Obli-

XIV. Obligat & assensus fidei , quoties urget aliud praeceptum , quod sine illa nequit adimpleri.

XV. Veritatibus supernaturalibus superno modo per fidem adsentiri est impossibile , pio dempto voluntatis motu.

XVI. Nefas est ritibus , cibis , vestibus , aliisvè suapte natura , vel humana lege ad falsam Religionem institutis , veram occulere , & falsam simulare.

XVII. Inculpatim Christiani , Episcopi etiam persecutoribus , se , fugiendo , subripiunt ; nisi aliter suadeat fidei causa , plebisque Christianae periclitatio.

XVIII. Fidei subiectum intellectum esse persuasum habemus.

XIX. Charitas fidei forma est , accidentalis tamen & extrinseca.

XX. Recepta est apud Theologos in fidem formatam , & informem distinctio ; haec vera virtus est , imperfecta tamen.

XXI. Longè nobis accommodatior est illorum opinio , qui fidem formatam & informem eumdem habitum esse dicunt.

XXII. Divinam Fidem caeterarum virtutum generationis gradu per se esse principem , puto , qui neget , futurum esse neminem.

XXIII. Cognitio fidei qualibet naturae cognitione ex se certior est , quantumvis haec sit evidens atque scientifica.

XXIV. Angeli in prima sui conditione , atque Protoparentes nostri ante peccatum vera praediti fuere supernaturali.

XXV. In solutis corpore animabus , suoque in termino consistentibus supernaturalis fidei habitus non perseverat.

XXVI. In purgantium animis à Coelesti Patria adhuc extorribus vera fides perstat.

XXVII. In homine haeretico , qui vel uni articulo pertinaci animo reluctatur , fides nulla repertur.

XXVIII. Quae fidei maximè opponuntur , tria haud im-meritò numerantur , Infidelitas scilicet , Haeresis , atque Apostasia.

XXIX. Attento iure Ecclesiastico prohibitum est omnibus laicis de Fide cum Infidelibus disputare.

XXX. Infideles , qui nunquam fidem suscepérunt , ad eam nullatenū sunt cogendi ; possunt tamen cohíberi , ne impediant fidem , eiusve praedicationem.

XXXI. Infideles illi , qui aliquando fidem suscepérunt , ad eius unitatem sunt compellendi.

XXXII. Haeresis est : *Hominis Evangelium profitentis error apertè contra fidem cum pertinacia in eodem.*

XXXIII. Si quem positivè , ac deliberatè dubitantem de aliquo Fidei articulo inveneris , infidelem iudicato.

XXXIV. Haereticorum poenae aliae sunt spirituales , corporeae aliae. Illas haereticus materialis tantum , merè inter-nus , aut externus solum haud quaquam incurrit.

XXXV. Haereticus internus statim ac suam haeresim distinctè , & adsertivè exterius manifestat , nullo etiam au-diente , vidente , nullo , excommunicationem incurrit soli Papae reservatam.

XXXVI. Publici haeretici , nisi ab Ecclesia voluntariè discedant , aut nominatim sint denuntiati , iurisdictionem retinent , validèque absolvunt.

Qui

XXXVII. Qui haereticorum libros haeresim continent, vel de Religione tractantes, sine auctoritate Sedis Apostolicae scienter legunt aut retinent, item qui eos impriment aut defendunt, excommunicatione ligantur Summo Pontifici reservata.

XXXVIII. Apostasia à Fide, desertio est totius Fidei: Apostata à Religionē ille erit, qui eam, quam professus est, desserit, non obtenta Superiorum venia, & animo non redeundi.

XXXIX. Blasphemia dicitur: *Cordis vel oris locutio, qua per modum convitii dicitur aliquid derogans excellentiae Divinae bonitatis.*

XL. Peccatum istud ex genere suo est gravissimum, nec ob materiae levitatem fiet unquam veniale.

XLI. Spes describitur: *Virtus divinitus infusa per quam certa cum fiducia aeternae vitae bona auxilio Divino obtainenda spectamus.*

XLII. A Fide & Charitate noscimus Spem esse distinguendam.

XLIII. Spes, Charitate avulsa, virtus fracta est, & elumbis.

XLIV. Spei obiectum, ut aiunt, materiale est ipse Deus immortalium animorum vita, merces, & finis ultimus; item omnia, quae ad ipsum nos perducunt.

XLV. Formale verò obiectum Spei est Omnipotentia praebens, offerensque auxilia.

XLVI. Beatis Spes omnis aufertur, vel circa gloriam proprii corporis, quam expectant.

Im-

XLVII. Impius aeterna morte multatus , à vera Spe
deturbari censendus est.

XLVIII. Animae in Limbo detentae retinuere Spem
supernaturalem.

XLIX. Iusti , qui in Purgatorio suorum scelerum poe-
nas luunt spe minimè sunt privati.

L. Desperatio plenè deliberata beatitudinis adipiscendae
peccatum est mortale ex genere graviorum.

LI. Praesumptio aliud est peccatum spei contrarium,
quam licet non semper tollat , inficit tamen insana qua-
dam temeritate , & audacia.

LII. Praesumptionem non semper reperies cum infide-
litate coniunctam.


Vt. Joseph Episc. Orcel.


Vt. Balaguer Cens. Reg.

Vt. D. D. Salvator Puche

Studior. Reg. & Rector.







I.E.C.D. 2016